



1728.

1. Bied

6m

2. Man

3. West

für

1729.

1. Car

2. Ca

ne

3. Ma

4. T

i

1730

1. A

2



8

Vol. 2 Num. 9

1730, 1.

585

Q. B. V. D.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
DE

**EXPERIENTIA  
MATRE SCIEN-  
TIARUM,**

QVAM

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
CONSENSU,

P R Æ S I D E

**M. JOHANNE HERMANNO  
BECKER,**

FAUTORE AC PRÆCEPTORE SUO MAXIME  
COLENDO,

IN ACADEMIA VARNIACA,

ANNO MDCCXXX. AD DIEM APRILIS,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIET

**MARTIN. GUSTAV. FISCHER,**  
GRYPHISW. POMER.

R O S T O C H I I,

TYPIS IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
TYPOGRAPHI.



**VIRIS**  
*ILLUSTRIBUS atque MAGNIFICIS*  
GENEROSO, CONSVLTISSIMO,  
EXCELLENTISSIMO

DOMINO,  
**DN. JOACHIMO HENR.**  
a **SIBRAND,**

REGIAE MAIEST. SVETICAE TRIBVNALIS QVOD WIS-  
MARIAE COLITVR, ASSESSORI DIGNISSI-  
MO, MERITISSIMO,

NEC NON

PRAENOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO  
EXCELLENTISSIMO

DOMINO,  
**DN. JACOBO CARMON,**

PRINCIPIS TERRARVM MECKLENBVRGENSIVM CONSILIA-  
RIO MERITISSIMO, SENATVS ECCLESIASTICI DIRECTORI  
GRAVISSIMO, PANDECTARVM PROFESSORI P. O. ET I. V.  
DOCTORI FAMIGERATISSIMO, FACVLTATIS IVRI-  
DICAE SENIORI SPECTABILISSIMO

PATRONIS MOECENATIBVS AC STV-  
DIORVM SVORVM PROMOTORIBVS  
QVOVIS OBSERVANTIAE SVBMISSIONIS ET PIETATIS GE-  
NERE AETERNVM DEVENERANDIS

HOC QVICQVOD EST OPVSVLI  
DEBITI CVLTVS AC PERPETVI OBSEQVII MONVMENTVM  
DICAT, CONSEGRAT, OFFERT

**ILLVSTRIVM TANTORVM NOMINVM**

HVMILIS ET INDEFESSVS CVLTOR  
MARTIN GVSTAV FISCHER, Auctor.



## PRAEFAMEN.

**A**B ipsis rerum incunabulis ea semper infedit hominum animis sententia & avara cupido. ut sua quaevis metiantur non utilitate ac damno, non necessitate ac incommodo, sed iucunditate & difficultate. Puta, suo quisque indulget genio & naturae, quae huic demum grata ingrataque, siue aspiranda siue averfanda videntur. Exinde vere mala non improbanter, vere bona non ambientes, sensui plus damus quam rationi. Utinam vero intra privatos solum & domesticos cancellos haec substitisset opinio, ac non simul in publica & literaria irrepisset fora. Doctorum maxime veterum scrinia si paululum discutiamus, eadem labe corrupta deprehendemus. Vnicum ut tantum hic persequar, illam Lucem, Magistram, Vitam, Principium & eruditionis Thesaurum certissimum, Historiam Scientiarum, quam parvi olim constituisse, quanto neglectui & incuriae datam, ipsorum scripta assatim comprobare queunt. Hi ipsi ex ubertate lucri diiudicantes disciplinas praefixum scopum frustra consequi fuerunt amisi; ceu opus sine instrumentis exprimere incassum allaborat artifex. Ne tamen nugae acturi & translaticia videamur affirmaturi, en amplissimam & copiosissimam Histor. liter. in ad discendis artibus, quantae sint, fertilitatem ac usum, in nucleo vero quasi compactam. Sane cum ea quamplurimis iisque accuratissimis subinde sederit curiositas, ut primam cuiusvis artis originem, progressum & incrementum eruere exploratumque habere incubuerint sedulo, quo & aequam de ipsa ferre sententiam & in discendi docendique munere bonis aurbus possent procedere: quam quaeso aliam nostrae scientiae rationem quaeris, cum maxime nostra scire interstet, qualem id, quo excellere aumus, studium featuriginem & ortum sit sortitum: ut e venenato fonte non nisi lethifera & impura, ex adverso e limido atque puro nos pariter non evoluti aqua salubris & viua; ita nec nos pariter infcios esse oportet, e quoniam fonte seu lacuna primus Scientiae Auctor Principia aequae ac mores suos hausserit, quo fato in ea cumprimis inciderit, quo postea pacto aequalibus & posteris labores tradere, quaque docendi methodo uti fuerit solitus. His vero neglectis notitiam nescio quam inconditam & confusam non raro existere videmus. Nunquam fortassis in paradoxas, ut vocant, opiniones Patrum nonnulli Platonic

A

Philos.

Philos. imbuti devenissent, si, unde suas varii generis virtutes, mortem  
 Philosophicam, purgatorium, deificationem eiusque commatis alia defam-  
 pisset penitus inspexissent, certe tum fanaticismi securi. Id quod et-  
 iam nostro tempore quosdam veterum ethnicorum dogmata bona sane, ho-  
 nesta, cumque ratione consona primo intuitu perlustrantes, cum haud  
 longe a revelatione multa distare sint visa, ut beatos & sanctos vendi-  
 tare auctores sustinuerint, adegit. Et haec est Historiae Ignorantia, quae  
 in penetralia scientiarum utpote earum genesis, Principem, augmentum  
 & decrementum contendere non sinit, sed coeco quandoque absurdo im-  
 petu oblatam dirimere quaestionem cogit. Vid. MATERI Program-  
 de turpi circa auctor. ignorant. Mira sane res videtur Clariss. HUB-  
 NERO P. I. Hiltor. Fragen. pr. hancce historiam totius eruditionis occ-  
 ani tempestatem & fata completentem, parum ab ipsis cultoribus colli-  
 Hanc autem non morantem paulum aut plane nihil, ita ut lucri spes sit,  
 in praestituta disciplina profecturum arbitror. Qui contra intra vela a  
 Musis edoceri, firmis, perspicuis, solidissimisque fundamentis suam su-  
 perstruere rerum cognitionem cupit, studendi ardore flagrans vero veri-  
 us Doctiss. DN. BUDDAEI in Isagoge Hiltor. Theol. L. I. C. IV.  
 S. XXII. de historia Philos. inspecie effatum assumabit. nam, inquit, sine  
 ea Philosophiae tractatio feliciter non succedit, & THOMAS. teste in-  
 tellectus coecutit, cogitationesque male disponuntur hac non suffultae;  
 id quod ad suam quisque disciplinam facile applicaturus. Praeter haec  
 artis periti semper egerunt sedulo, ut, quam cum aliis communicarunt,  
 eam commoda, concinna, facili & apta methodo instillare, eaque lan-  
 guidos iuuenum animos ad feruorem inopinato accendere haud frustra  
 sint conati de quorum studio in omnium prope manibus haerent scripta.  
 Equam ascitam & peregrinam tenendi rationem rimaris? in promptu  
 domestica & propria est: Scire enim, quo quacuis modo inter se cobae-  
 veant a primis scientiae initiis; altera alteram genuerit opinionem; quid  
 hunc praecipue istam arripere rationem permouerit, quid alteri contra-  
 riam; cur hoc licet iniquius dogma receptum, acquis reiectum; quo  
 casu hanc eo seculo floruisse disciplinam, eodemque decreuisse minus se-  
 undam, plurimaeque huius generis alia, id secundum methodum ab ipsa  
 re depromptam literis dedisse operam, ac sub certa spe lactae missis in-  
 genis



genii agellum videtur subegisse. Iucunditatem denique & delectamen-  
tum si respicis, en uberrimae tibi in manu deliciarum copiae cornu! Quid  
enim suavius, quam cum prorogatione quasi aetatis in antiquiora rerum  
tempora quietè exspatiari, acerbitates & pericula docentium eorumque  
festatorum secure legere, dissidentium lites secum recolare, praemia &  
honores bonorum, dedecora & supplicia demeritorum cum voluptate di-  
squiere, & tandem cum suae aetatis hominibus doctissimos caedere ser-  
mones, nominisque sui famam extollere quam longissime. Vid. SCHEL-  
HORN. Amoen. Liter. Non ergo abs re nostri temporis, superiori in  
hoc quoque praestantioris, eruditi certissimam elegantioris doctrinae vi-  
am straturi, scriptis suis ubi fieri potuit historiam eius, quam tradunt  
disciplinae, tanquam paedagogum quendam & ducem praemittere assue-  
runt, qui oculos animosque praeparet aequiori pectore rem ipsam perceptu-  
ros; probe guarì, quod olim IOH. HARTUNG de Historia Polit. asseruit.  
Hanc sc. esse crassam & popularem Philosophiam; & Philosophiam  
subtilem & exquisitam Historiam, id optimo iure suis cuiusque scien-  
tiis conuenire. Haec secundissima aera coepta consuetudo & multum su-  
stulit studiorum difficultatis, & ad pleniorum eorum indaginem excitauit  
amatores, & nitidissimam ab interitu vindicauit disciplinam. Non  
possum ergo, quin omni laude & gloria dignum hoc institutum & mo-  
rem, quemque posthac omni oblivione exemptum quamdiu fata fuerint  
censeam; Nec posteritas primam huic operi manum admoventes suis frau-  
dari laudibus temere concedet. Superiora enim tempora obscura bar-  
barie penitus inuoluta & sepulta ne utilissimas quidem, ne dum elegan-  
tiores & cultiores artes suae habuerunt restitutas integritati, illis tan-  
dem conualescentibus, hae simul exsurgere & efflorescere nequibant,  
dum & hae demum nitorem viresque sensim acquisuerint, quod medio  
circiter elapsi seculi & quod excurrit coeptum, nostro fere absolutum com-  
perimus. Palmam in hoc studiorum genere facile praeripiunt LIPSIUS,  
VOSSIUS, CARTESIUS, HORNIUS, IAC. THOMASIVS, CON-  
RINGIUS, STRUUIUS, MORHOFFIUS, quorum omnium manibus  
die nocteque volui scripta iure meritoque oportet. Vid. ANDR. WEST-  
PHAL Einleitung zur Historie, qui doctam explere sum abunde sa-  
tagit. Horum postea praecurrentium vestigia legerunt BUDDÆUS in  
A 2 Element.

Element. Philos. *HEINECCIUS* in Antiquit. Rom. & Element. Philo-  
 sof. *MENKENIUS* in gelehrten Lexic. *STOLL* in Historie der Ge-  
 lahrtheit; *HEUMANNUS* in Consf. Reipubl. Litter. *CHRIST.*  
*THOMASIUS*, in Introductione ad Philos. ant. & alibi; *WALCH*  
 in Philos. Lexic. & Einleitung dazu, *FABRITIUS* in Bibliothec.  
 plurimique alii: quibus haud perperam diaria, gal. iournales. *IUN-*  
*KER* de Ephemerid. bibliothecarum compendia, vitas doctorum, scri-  
 pta Academiaram des sciences, neuvelles doctas, monabiliche Vnterre-  
 dungen &c. referimus, Vid. pluribus citatum *WESTPHAL. C. I. &*  
*STRUUII* Introd. ad not. rei litter.

*Ex his vero non Philosophiae solum, sed Iuri quoque lusem, eius*  
*historiam contextendo accensam esse constat, quae quantum hanc scientiae*  
*speciem promouet, auget & ad summum usque culmen prouehit, quan-*  
*taque necessitate & utilitate huic sit iuncta, cum e plurimis Scriptoribus,*  
*tum maxime e STRUUII Historia Iuris Rom. Germ. Canon. Feud.*  
*Crim. Publ. & Magnif. DN. MANTZELII dissert. de eo quod est*  
*pragmaticum in historia Iur. ac subsequenibus videre est. Si quam*  
*enim apud nos Cynofura Iuris seu Corpus Iustin. decidendi auctoritatem*  
*impetrauit, qua certe maxima pollet, ex eius dictamine theseos confir-*  
*mationem petere in proclivi est, praepremis e L. 1. & 2. ff. de Orig. L.*  
*vbi non modo utriusque ICto necessaria videtur Iuris historia eamque di-*  
*scendam ante integressum commendat, sed d. L. 1. illotis, loquitur Gaius,*  
*manibus I. Peritiam tractare & minus euidentem Iur. intellectum habere*  
*qui sibi non initia i. e. Historiam fecerit propriam, simili a litigantibus*  
*coram iudice desumpto. Ad fontes ergo recurrere ante omnia praeci-*  
*piunt, ideoque compendiaria & succincta qua clarior fieri non posset, hi-*  
*storia d. L. 2. in ipso limine velut Iuris Oceanum introeuntibus quo ex*  
*voto succedat desiderium, exhibetur, leuique & simplici via, ne deser-*  
*tor existat, sine vlla dissidentia studiosi animus perducitur. §. 2. I. de L.*  
*& I. Praeter haec Stoicae Philosophiae tum temporis vtitatae addictos*  
*fuisse ICtos v. Otto in orat. de Philos. Stoic. Veter. ICtorum, quaeque*  
*haec continerit principia, opiniones & dogmata si nesciveris, resul-*  
*tantia exinde Responsa absurda & incongrua indicaveris, cum e contra-*  
*rio aliam pronuciare sententiam quam illis comenientem minus liceret.*  
 Ex.



Ex infinita rerum multitudine ut unicum in medium proferam, qui olim ex stipulatu ad factum obligatus, ad fidem datam liberandam minime cogi poterat §. fin. l. de Verb. Obl. quoniam duriter animum aequae ac corpus habendum, quidquid ad hoc supprimendum conferebat, sustinendam & quasvis potius quaestiones quam inuita & coacta perseveranda, statuebant Stoici. Eum ergo naturaliter quidem non civiliter ad factum obligatum ad factum adigi negabant, ad soluendum solummodo interesse tenebatur L. 13. §. fin. ff. de Re Iud. Quid porro loquamur de ceteris Iurium partibus, ut Iure Publ. & Eccles. in quibus Imperialis & Ecclesiast. utramque faciunt paginam, quod ad nauseam usque a plurimis, inter quos eminent STRUVIUS, CONRINGIUS, PUFFENDORFIUS, LUDOVICI, BOEHMERUS demonstratum, ut plura afferre merito superfedeam. Theologiae denique studium accuratius contemplaturo, non minori cura historiam saltem Ecclesiast. solerter penetrandam studiose, solidam modo & profundam appetat eruditionem videtur. Quae enim concilia & synodi habitae, quae nam symbola, liturgiae, caeremoniae & disciplinae in illis compositae ac introductae, quibuscum intercesserit controversia, in quantas aliquando redacta ecclesia angustias, quam mire hinc saepe emerferit iterum, quales hodie adhuc resistant aduersarii, ut taceam haereses e tempore, aetate, moribus optime diuidendas, haec, inquam, probe perspecta habere, ad Theologiam, absque illorum scientia vix substituta, maxime conducunt. Vid. WESTPHAL. Program. de Histor. cum Theolog. &c. coniungenda, PFAFFII Intrad. in Histor. Theol. litter. Sed de his alii alia. Quae haecenus tamon dicta si recta animi lance pensitemus, in hoc omnem illius usum conspire & collimare videbimus. Experientiae omnium scientiarum generis acceptam ferendam, quo haec modo, quo ordine, qua occasione exsiterint, diminutae & auctae sunt, perspicue monstranti. De illa ergo, quantum potero, quaedam monere, cum meo quidem iudicio nulli hac de re directe loqui libuerit, quantum experientiae, ad quam vulgo prouocare solent, debeamus, ostendere, non inueniens fore visum est.

A 3

TRA.

## TRACTATIO.

### §. I.

**P**erquam tritus apud Logicos canon : Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, tam firmo certe stat talo, vt cui non aliena a veritate mens, contradicendi Spiritum vix ducat. Ecquis enim es vt natus es? nihil es, inque eo statu permanens i. e. sensibus vti nesciens, praeter machinam nihil eris, nil percipies nec cogitabis, quo ipso innatas Cartesii ideas, de quibus infra, negamus. Obscura & insufficientia si tibi videantur dicta, fufius, quantum instituti ratio permittit, cum ab aliis idem iam probatum, v. VRIES dissert. *de sensuum usu*, disserendi deinceps copia erit. Hic paucis me expediam. Finge hominem tota rerum & doctrinae encyclopaedia instructissimum, eique stupidum, plumbeum, imperitum appone, cur tantum hic intercedat discrimen quaevis, ille, diu alsi multumque sudavi, assidue legi, plurima audiui, difficilima quaevis adii, inuentis demum superaddidi inuenta : Ille contra parum legi, ingrata detrectavi, nil sum expertus, responder. Vt tamen quae proposui ordine exsequar, praepremis quid per experientiam intelligamus, docere & deinde ad specialiora descendere arripet.

### §. II.

Nobis quidem audit experientia: sedulus & legitimus sensuum usus cum attentione & iudicio mentis coniunctus, obiecta singularia qua proprietates & effectus axaminans, vt clara adaequata & distincta resulter inde idea. Graece vocatur *ᾠεία* siue *ἐμπειρία*, saepe enim eadem res tendandae, explorandae, incipiendae, ad plurimum transeundum & penetrandum. In quo Ebraica **נסיון** & **ערי** conveniunt, posse enim perspicere, animadvertere, percipere & probare quaecumque oportet, qui experientia semet edoctum profiteretur. Recte notauimus in deuin, *sedulus & legitimus sensuum usus*; quam potest saepissime eadem instituenda obseruatio & reperenda, quo, pari semper modo, eadem serie fieri, non alias alioqui pati mutatio-

tationes, iisdem semper gaudere proprietatibus, effectibus, res obseruatas, certiores reddamur. Externorum sensuum usum pariter ac internorum, ne his decipiamur, suo more docte demonstrat WOLFFIUS in Gedanken vom Verstande &c. Cap. 5. & Walch in Lexic. v. Sinne. *Attentionem* porro & *iudicium* requirimus, quo ipso vulgarem, mortuam & indoctam a viua & docta, quam in hac tractatione solummodo supponimus, remoram vides. Quamuis enim haec illam praemitat, necessarioque praecedere debeat, omnes namque sentimus, omnes memoria obuinentes casus & exempla tenemus, omnes experimur, in nuda tamen perceptione sapiens quisque vulgi more, quae habet animaduersa crude capientis, haud persistit, ad altiora potius ascendit, animum iudiciumque ad res, quo vere modo contineantur atque voluantur, scite appellit, meditationemque omne punctum hic ferentem cum experimentis solerter coniungit. Quo Graecum *δοξασαοία* tendit. Dehinc *singularia* & *naturalia* & *moralia*, sub quorum nomen quaeuis experienda cadunt, attendit peritus, qua proprietates & effectus a laudato WOLFFIO l. c. expositos, vt plura addere superuacaneum. Ex istiusmodi denique sensuum usu euident, perspicua & distincta nascitur idea, obseruatis quibusuis circumstantiis, causis, principiis, sine & connexione sponte sua fluens. In tantum vero haec modo valet deunitio, quatenus adhuc in actu experiendi versamur, & indies sentimus, vnde, cum perpetua rerum mutatione & vicissitudine noua exsurgant, ad extremum vitae exitum eandem durare liquet.

§. III.

Quando vero rem experiam iam tenemus, statumque mentis nostrae respicimus, experientia est certa, perspicua & distincta singularium ex solerti obseruatione eorum, qua proprietates & effectus orta notitia, generans conceptus rerum vniuersales veritatumque principia. Vtraque in disser. in censum venit. Hanc praecipue, quando consuetum istud elogium perito cuique tribuimus: *Das ist ein erfabrner, versuchter Mensch* &c. intelligimus. Illam iterum non consequi posse eum, qui iuxta priorem desinit, sensus & animam quaquaersum non circumtulit, nec in illa notata poliendo sibi accurate fecerit

fecerit propria, res ipsa docet. Porro in primis ephelis & iuuenilibus annis neququam tantam, quae experientia imbutum virum decet, peritiam comparari posse concludimus: longa aetate, multis laboribus, diuturna rerum annotatione perpetuis vigiliis variaque fortuna in confectum senectute tantum cadentibus vt experti nomen quis mereatur, opus omnino esse; exinde debitam istiusmodi hominibus reuerentiam competere in transitu moneo. Postremo, omnes scientias ac artes magis magisque subinde instaurari, emandari & augeri posse, quoniam per mortem demum experiri desinimus, per se quisque vider. Vltimo, quod prolixius nunc exponere animus est, disciplinas hanc genuisse, & quicquid scimus illi vnice nos debere fatemur.

§ III.

At in limine statim obloqueris; nunquam naturae leges, quid valeat quid ferre recuset, ipse tentari, modice terrarum orbem perkustrari, raro frequentia hominum consortia adii, mores, actiones, consuetudines, animos & eiusmodi alia notatu digna obseruanda neglexi, eruditi tamen & peritissimi nomen sustinere me iure assero. Ita quidem sese res habet, & non nisi experientia addisci posse scientias minime affirmamus, neque regulas & theorias reiicimus. Has enim si negarem, & experto saltem crederem Ruperto, aut Parcen, longius vt vitae filum traheret, nobis suppliciter exorandam, aut adstrictiorem studiorum terminum figendum, aut vicissitudines rerum abrogandas, arbitror. Nullum vero horum cum nostris concessum viribus & potestati teste Epictet. C. I. seq. sed breve nobis viuendi spatium metiatur benignum Numen, idque tamen assiduo labore transfigendum serio intendar, certe quicquid pauilli temporis datum, ita impendi oportet, vt vitae non scholae discentes summam felicitatem adipiscamur, i. e. mentem optimis quibusuis scientiis instruamus, quae ad nostrum aequae ac publicum faciant commodum; seu nostrae aliorum iungamus experientiam. Infinita rerum multitudo, hodie quas imbibendas postulant, facula si modo euadere cupis, & angustis circumscripta limitibus vita spes longas inchoare vetant, quo minus de omnibus perspiciam & sufficientem singulorum copiam adquirere, atque ab aliis tradita ipse possis inuenire, quantumuis experientia prima sint inuenta. Vid. Walch. Lex, verb. Erfahrung. Theoriam autem

autem & regulas iam compositas tuis si vel corrigere & explanare argumentis, vel confirmare & augere aggrediaris, nescio quid elegans & probatum inde existere solet. Per se quidem studiis pulcherrima affert incrementa doctrina seu theoria, omnes quippe causarum recessus ac secreta recludit, in multo capiendas opera artes plenis invehit velis patitur, vniuersalem rei praegustum delibandum praebet, multiplicem eius apparatus deponit, a teneris vnguiculis, si non meditari, saltem ingeniose differere, quod adulto alioquin licebat, assuefacit, animum ad praxin mox ducendum accommodat & praeparat, modum agendi fideliter subministrat, quid & quale tractemus, demonstrat, tribus verbis rem in compendio sistit, imo Theoriae ignari rem ipsam quoque nescimus. Nihil tamen secius mortuam velut & sterilem istam sine experientia doctrinam vocamus, ceu Leuileii in lure veniunt. Si enim, quam verae falsaeue sint regulae, in quantum valeant nec ne, quomodo cum re cohaereant, ignoremus, merito effoetas & languidas censeo. Cui contra defectui experientiae superstructa notitia prorsus medetur atque succurrit, vt spirans & fertilis videatur enasci. Siue vera sit, hac ratione & diurno sensuum vsu certior redditur, comprobatur, conseruatur, siue falsa, memoriae iam mandata eradicatur, tollitur, noua eaque melior formatur, & utrobique virtutem exserit suam. Ceterum quomodo fiat utilis partim ex supra dictis, partim e subsequenter elucescet clarius. Sic igitur a Theoria hic non abhorremus; neque inexpertum studiis ineptum declaramus; in eo tantum totis viribus sumus, vt incunabula scientiarum, prout in se considerantur, in experientia requiramus.

§. V.

Natura animam nostram tabulae raseae, cui inscriptum nihil; inculpi vero possint omnia, similem esse, improbus naturae censor Aristoteles praedicabat. Animae quidem facultates corruptas licet & debiles, cum ipsa existentia cooriri, corporique iunctam protinus sequi eandem, imo irreflexos conceptus, quorum sibi conscia est mens, dari, facile concedimus. Vid. DN. PRAESIDIS *Phys. Dogm.* P. 3. §. 130. nihil tamen secius & praesentiam actualem notitiae omnium

B

um



um rerum connatae, vi cuius docentibus Platone & Pythagora ita sumus instructi, vt discentes non ideas de novo acquiramus, sed idearum iam olim nostrarum reminiscemur, vtique negamus. Hoc pacto ergo Plotini animam divinae essentiae particulam, Poireri lumen divinum aliorumque *παράδοξας* de anima opiniones prorsus reiicimus. Has enim admissuri perfectionum divinarum, absolutae nimirum cunctorum noritiae prudentiae & intelligentiae participem simul eam fingere, certitudinemque, diuinationem, fallendi ignorantiam perperam affingere necessum haberemus. Neque in WOLFFII castra transimus, in Metaphys. §. 777. & 819. *animam ad perfectiones & ideas excitandas sibi sufficere, non per sensus res materiales immitti, sensibilia & corporalia, si defutura essent, in se tamen cognoscere, & secundum situm & connexionem cum corpore rursus euoluere* asserentis. Quae hinc falsa & vt aiunt impia sequantur, Buddaeus ac Ioach. Lange in variis hac de re compositis libellis prolixè exposuere. In nosmet ipsos modo vertamur, quanta regnet inscitia, quam exulet rerum cognitio, quanto opere lentoque gradu ad metam prorepamus, quanta animi hebetudo & stupiditas, in peruidendis obuiis quibuslibet caecitas ac error, quanta corruptio & nuditas mentem teneat occupatam proh dolor! videmus. Facultates vero animae insitae tanquam vehiculum medicum seu dispositio, aptitudo & cupido quae a sensibus offeruntur, strenue accipiendi sibi vindicandi, vimque suam pro cuiusvis qualitate exhibendi, mihi audiunt; cum neglectae contra, nullo sc. rerum apparatu instructae marcescunt agro haud impares occa & vomere non subacta & sterilescenti. Vid. plur. THOMAS. in Logic. c. 9. & BVDDAEVS in Philos. instrum. c. 1. §. 2. Si quando igitur scientia quadam, ad sempiterna conducente commoda mentem e sine, quem DEum procul dubio intendisse auguramur, veri nimirum & boni desiderio explendam esse manifesto liquet, sequitur etiam, vt primo cognoscendi actui potentia quaedam insit id agendi, quod agere debet. Sensus sunt eorumque negotium, quibus hoc iam tribuimus, quod iuuare nostram cognitionem, genereque eandem possint. Moneamus hic necesse est, quod sensus sibi relictos, id est contactum illum membrorum sensoriorum, &

ex



ex contactu ortum in iis tonum siue motum non hic velimus considerare extra commercium animae ex his motibus corporeis iudicantis, sed sensationem talem volumus, vbi ad nos reflectentes, sit venia verbis, sentimus nos sentire, id est consci sumus rerum quas sentimus. Dein euitamus lubentes occasionem explicandi confusio- nem, quam nonnulli introduxere *πολυσημείω* vocis *sentire*, quam modo de negotio sensuum stricte tali, modo de eo quod animae & sensibus externis commune est, modo de certitudine animae & eius acquiescentia post factam cognitionem, modo aliter adhibent. Partim enim videmus ordinem cognoscendi cum attributo cognitionis certitudine, imo & criterio veritatis inuicem confundi; partim ingenue fatemur *sensum illum veri & falsi RVDIGERIANVM* nondum sentimus talem, qualem alii eundem declamant. Qua de re alibi pluribus. Confer. tamen WALCHII Einleit. in die Philos. p. 51. §. 3. seqq. & Lex. v. Empfindung. Nobis interim dixisse sufficit omnem perceptionem a sensibus oriri primitus, nempe quando ad res quas- cunque comprehendendas sensus intenti non extra activitatis sphae- ram, aut tallente aliquo intermedio, aut praepediente aliquo statu praeraturali, applicantur. Mediane enim contactu, animae in cerebro diiudicandum exposito, experimur rei proprietates & affe- ctiones, actus & status. Legitimis ergo sensibus & instructis & adhibitis non potest non anima, modum licet ignoremus, sibi for- mare ideam de iis ipsis, quae sensus sunt experti, quae talis idea, si cum re, de qua formatur convenit vera est, anima vero nullius admittit fraudis conscia, fidens sensibus certitudinem inde acquireret rem esse vt concepit, & in eius cognitione acquiescit. Haec histo- rica illa cognitio, vt praeclarior ac perfectior euadat, delineationem seu explicationem rerum accire opus i. e. qualitates, affectio- nes connexionem peruestigare, quibus definitio fores pandit; nude quippe rem accipere imprudentis esset, ista vero Philosophicam parit cognitionem, adaequatis, claris & distinctis nimirum tum existen- tibus ideis. Si demum puros, abstractos, vniuersales conceptus com- parare auemus, causas simul, cur ita res existat & necessario se eo

B 2

modo

modo exhibeat, inquirendo, Mathematicam cognitionem vocare a-  
solent, vid. BVLFFING. *dissert. de triplici cognit.*

§. VI.

Hæc illa decantata & veri explorandi aptissima methodus, quo-  
niam naturæ rei maxime congrua eamque prorsus exhaurit, de-  
monstrationem etiam à priori, vbi saltem copia datur, subiicit, ex-  
perientia & sensione est fundata. HEINEC. Log. §. 163. & 69. Non  
obstante enim, isthanc docendi viam plurimos vtpote RVDIG. in  
sens. v. & f. c. 4. L. 2. CLERIC. in Log. P. 3. c. 12. taxasse, alios  
plane improbasse, quod illorumne arrogantia & inuidia an Geo-  
metriae cognit. inscitia tribuam, nescio: nulla tamen iustior, con-  
uenientior omnibusque numeris absolutior, nisi quam antiquitatis a-  
mor quibusdam ablandiatur, inveniri poterit vnquam. Communes  
regulas in quouis meditationis opere attendendas vulgo venditant:  
Notioribus ignotiora, facilioribus difficiliora, generalioribus & sim-  
plicioribus specialiora & composita postponantur; debita sit partium  
connexio; proportionata earum mensura; principia, e quibus lis di-  
rimitur sunt euidencia &c. Has ergo omnes si in Mathematicam no-  
scendi rationem quadrare vides plenissime, eo sane nomine ample-  
ctenda summamque reportare adorem meretur. Illa tamen prætere-  
riens nihil naturæ rei propius iudico accedere, quam eius ideam  
seu genuinam obiecti imaginem, deinceps definitionem & diuisionem  
acquirere; hinc principia atque axiomata, ex his conclusiones elice-  
re; porro corollaria, theoremata, problemata formare ac solvere  
WALCH. Phil. p. 53. Qua propter si quis a concessis defin. ad non con-  
cessas consequentias transilire detrectet, ad definit. has quoque reuoca-  
turus ad ideas illarumque experientiam ac ostensionem Diogenis more  
perducitur nil tum regesturus. Requisita & modum commode veri-  
tatem hac methodo euoluendi tradunt KNITTEL. in *Via Regia P.*  
VIII. IX. & Logic. Gall. *L'art de penser* P. IV. c. XI. Quo enim pa-  
cto rem colligamus, eodem dissoluere L. 35. de R. I. i. e. quam in me-  
ditando & percipiendo operam nauamus, eodem alios de vero vel fal-  
so convincere naturale maxime videtur, id quod Marthesis disertè  
docet. Huic ergo tramiti a pulvere & radio excitati impigere insista-  
mus.





mus, ad tutissimum cognitionis fastigium penetraturi. Ceterum altam Adami ac nostrum, integritatis statum si conservasset ille, fuisse scientiam, excellentiori nimirum modo & certiori precedentem non dubitamus. De Adamo quidem certum, cum imago divina in vera & rebus finitis quanta dari potest maxima sapientia & iustitia constituerit, eundem sapientissimum a DEO creatum: habuisse hinc notitiam DEI concreatam, ita ut non demum addiscere creatoris cognitionem debuerit, siquidem ipsa anima immediate a Numine efficta struendoque iamdum corpori per spiraculum indita, probe ab eo erat polita. Triplici autem in pervidendis tum immaterialibus tum corporalibus gauisum esse cognitione monent, cum quicquid scivit aut scivit per nudam divinationem, qualis erat cognitio Euae, quam sua carne desumptam primo statim intuitu colligebat; nec tamen coeco impetu haecce suggereretur, causarum antecedentium probabilium observationem, unde verum non indubie coniectare licebat, praesupponebat. Observatio postea & inde facta promptissima conclusio dignoscendi & emphatice secundum naturarum proprietates, cum nominibus animalia insigniret, pronuntiandi ansam ferebat, hinc ut firmissima ipsi constaret prudentia & acquisitus habitus. Per immediatam denique infusionem theologia Adamo erat connata, ex qua DEI & spirituum bonorum essentiae exactam cognitionem habuit propriam, & ex ita, per infusionem, informato intellectu sincero amore DEum est amplexus. Hunc enim summum bonum, bonitatis ac clementiae Principem, Dominum & directorem omnium acquirissimum aperte cognoscens, reuerentiam, timorem & amorem sese ipsi debere ideoque ad voluntates eius suas actiones componendas, eique obtemperandum existimabat, idque eo gradu, quem summum DEus posebat. Adamum in ceteris tamen non fuisse *πρόνοσον*, sed nostrum instar didicisse, licet non ita sollicito, absque periculo erroris & maximo cum successu, putamus. Peccato postea corrupta animae *ἐνέργεια* & facultatibus, non omnem simul notitiam, ut e cera deleteretur quod impressum, exiit, sed successine peccati labem, errorem, oblivionem, falsas conclusiones, praecipua occupasse eum persuasum est. Ne tamen ultra peram philosophaturi videamur, ad institutum,

a quo paululum diuertimus, redeamus, originemque scientiarum ad experientiam referre nosmet accingamus.

§. VII.

Philosophia ceterarum facultatum magistra & directrix WALCH *Gedanken von Natur* p. 138. prima in scenam contemplanda prodeat, diuerfas cuius partes sigillatim, prout ordine docentur, atrectabimus. Humaniores tamen litteras, vt vocant, quorsum Historiam, Poesin, Rhetoricam quoque telegamus, nobis, ne extra oleas vagemur, sic co pede praeterire liceat, parum alioqui ab experientia easdem derivare sollicitis. Quo circa arti cogitandi, vta quam plurimis praemitti solet, primas partes nos itidem deferimus, formalitatem, materialitatem, barbaram vt sic loquar, compositionemque systematicam experientiae attributuri. Haec, quando subiectum siue intellectum secundum suas operationes dilucide explicat, vnde illa sibi? vnde rationis vim homini inesse, ideas seu cogitationes formari, iudicia & ratiocinia sequi, constat? non nisi saepe iterata horum observatione & sensione. Eadem ratio phantasiae, memoriae ac reminiscentiae ab effectibus suis cognitae. Et ego quidem sana ratione sagacique perspicacitate pollere neminem autumo, nisi quem prudentissimi quique talem praedicaverint. Inquirant Logici in defectus & morbos intellectus, ignorantiam & errorem, mala ergo esse, plurimum in commodi afferre, veritati obstare, praecudicia parere comperientes, medicinam tollendis illis parandam, antidota ne recurrant conquirenda, praecudicia eliminanda atque in emendatum statum mentem restituendam, meditati sunt, id quod repetitis huc vsque experimentis, conficere studuerunt. Veritatem vero, quando conuenientiam conceptus nostri cum re definiunt, multoties attentatam oportet, cum neque re qualitercunque percepta semper eodem modo gestum iri neque necessario ideas cum ipsa cohaeruras, deficiente de nouo tentamine, confidere tuto possumus. Et id quidem in demonstrantia indubium, HEINEC. Log. §. 108. Topicam quippe circumstantiae ac concomitantiae efficiunt, siue accurata siue incuriosa horum annotatione ad maiorem vel minorem probabilitatis gradum eueher; possibilibus autem quibusdam saltem nititur documentis; expertus enim rem quam

quam esse non repugnat, ita vt concepi euenisse, de eiusmodi alia pariter subsumi posse mihi persuadeo. Illam tamen sc. apodicticam cum multifariam destruere, detorquere, falsum surrogare, nubemque pro Iunone amplecti saepe malitia hominum atque ignauia iusserit, meditatio, atentio, librorum lectio aliaque commoda suam firmandi sententiam visa sunt media; illorum quoque falsis propositionibus, sophisticis & apateticis ratiociniis principisque reprobis aequae stabilem haec disciendi modum sensim praescribere, hinc variae argumentandi figurae, modi, fallaciarum deturbationes, conversiones, oppositiones &c. Sermonem postea dirigente Logica primitus in suis Anti-Post-Prædicamentis ad conceptus formandos compositis, multum defudarunt, faciliiori postea directa via, idearum & enunciationum genealogia addita, quibus rite mentem exprimere concessum; cum hisce neglectis & alii obscure ac inordinate scribant, & alii horum sensum vix assequantur. Illi tamen quando difficultate quadam & iusto minori perspicuitate animi sensa exposuerint, plurima verum eruendi consilia in quocunque scriptorum & dictionis genere, alio atque alio nova subinde superaddente, sunt excogitata, vid. DN. ÆPINVS, BVDDÆVS, WOLFFIUS in *Log.* Nostram vero prolaturis sententiam, seu cum aliis in scriptis communicaturis non simplici via procedendum cognouerunt, sed cuius fere eruditionis parum singularem suam adfuerunt ordinem ac Methodum. Oserent denique veritate proponenda, modo hanc modo illam discernendi aptissimam methodum veteres iudicarunt, vnam eandemque omnibus haud conuenire experientia ducti, quas in vnum collegit SCHNEIDERVS. Parum erga a nostratibus nisi plenior forte disquisitio in virtutes, vitia & mores disputantium adiectum esse, ille restatur, conf. WALCHIVS in *H. stor. Log.* prolixè satis hac de re scribens. Hinc affatim, quantum nostri loci esse videretur, experientiam omne punctum Logicae ferre, eiusque ope tantam compendiorum Log. copiam publici iuris fieri, indices quoque magis magisque propria attentione augeri & in se certiorari posse, videre licet.

§. VIII.

Ad Reginam, vt vocabant, Scientiarum Metaphysicam progredimur,

scimus, experientiam sibi pro fundamento pariter asserentem. Non  
 ramen otiosam Ontologiam neque totam Theologiam natural. sed v-  
 niuersalium conceptuum complexum ac praeparationem ad praedi-  
 ctam Theol. illa exhaurimus. Primo igitur generalem vocem en-  
 tis cum suis qualitibus, i. e. attributis, affectionibus, passionibus  
 &c. experientia induxit & contemplanda dedit: cum enim res quae-  
 nis sub sensum cadentes relationem quandam & respectum transcen-  
 dentalem erga se admittere, seu existentiam & essentiam communiter  
 habere videantur; eandem quoque in tantum primo, simplicissimo &  
 notissimo vocabulo, quod omnes comprehendat, designari debuisse  
 sequitur; idque cum ipso quasi lacte imbibitur, dum si vera rei  
 denominatio memoriam fallat, ad *ens* tanquam sacram anchoram con-  
 fugere moris est. Ens porro sub sensu vocatum, proprietates, cer-  
 tum statum & modum, quo est, agit & agitur, sine opera reteg-  
 rit; sic spatium, locum & durationem quoduis occupare idque nisi neces-  
 sario, saltem contingenter. Prouti autem nullum citra aliquam rela-  
 tionem nec nude consistere videmus, ita nec substantiam sine acciden-  
 tibus, siue subiectum sine adiunctis seruari posse sentimus. Nam quic-  
 quid sentis, medianibus accidentibus percipis, illis in vnum collatis  
 substantiam sentire videris. Entis abstractum vero essentiam se. pri-  
 mo in ente per substantiam vel causam agentem effectam, immediate  
 iterum experimur, utque essentia sine existentia non est, ita nec  
 essentiam h. e. id quod est & tale esse debet nisi per substantiam pro-  
 cedere potest, ac ita vim huius per effectum seu veras proprie-  
 tates sensu acceptas cognoscimus. Quapropter essenziale salua rei sub-  
 stantia separari, puta bonitas, veritas, vnitas &c. abesse nequeunt,  
 quas singulas experientia hausisse, ne fallamur, oportet. Ad singu-  
 lares qualitates essentiam rerum distinguentes cum deueniendum,  
 haud minori cura instituta saepe obseruatione notas sibi has reddere  
 optimus quisque studebit. Sed, inquis, finitum infinitumque sim-  
 plex ac compositum &c. Mathesis ad liquidum perducit, illa vero  
 abstractionibus & immensis demonstrationibus occupata parum inde  
 nostram sensationem curat: hoc plane negato arg. c. 12. WOLFF. Log.  
 experientiam pro principio assumens, aliam simplicitatem, aliam in-  
 finita.

finitatem, quam in Metaphys. tractatur. statuit Mathesis, multum tamē nostram haec adiuvat & promouet. Solerter alioqui finita ex dependentia, composita e diuersitate partium, corruptibilia e partium separatione & sic deinceps diiudicanda sensibus veniunt, qui ad infinita, simplicia, incorruptibilia dehinc reducunt. Praeter haec quaedam peculiari gaudent virtute agendi, alia actum istum recipiendi, quibus attente inspexisse nihil fructuosius & stabilius. Nam in Theologicis v. c. lapsu Protoplastorum, Politicis & Philosoph. causa caulatoque, principio principiatioque non legitime disiunctis, controversiae, iurgia & abomirandae sententiae sunt natae, qualia autem sensibus iudicio iunctis discernere non adeo difficile videtur. Potentiae, actus, finis praecipitia pari sagacitate is superare contendet, qui quo modo res agat, cur agere possit, cur demum agat, sollicitius examinauerit, vbi per se regulas e. g. *qualis essentia, talis potentia* &c. formabit quilibet. Quo pacto denique se inuicem res respiciant, experientiae studiosum fuger nullum. Vltimo siquidem de DEO in hac disciplina agnoscendo iniicitur mentio, spiritumque independentem, infinitum, aeternum, immensum, omnipotentem, sanctissimum &c. Dominum conseruatores & prouisores omnium benignissimum esse asseritur, firmissimum aduersus Atheos argumentum ab experientia, quae vniuersum mundi systema, ordinem structuram elegantissimam, negotia inopinato & scitissime directa, consiliaque sapientissima ob oculos ponit, peritum: vt alios ex affectibus, voce, oculis, auribus, manibus &c. DEum demonstrantes transeam. Thei tamen nostrae Cartesii ideae innatae obstare videntur, quas aures non satis probasse, & nunquam probare eum potuisse BVDDAEVS, HVETIVS alique fuisse ostenderunt; meo iudicio alias in recens nato infante omnique hominum commercio excluso probari posse non dubito.

§. IX.

Breuitati studentes ad Physicam properamus; in genere hanc disciplinam experientia totam niti, suamque originem illuc referre asserturi. Quantumuis eorum sententiae tanta mola librorum, quae hodie grauamur, non opus esse statuentium, nec praeter *Γεν. Βιβλ.* Bibliothecam, *scripturae, conscientiae & naturae* alios euoluere admittentium

tentium adstipulari verear, vnum non omnia capere gnarus: amplif-  
 simum tamen in multiplicem rerum varietatem experiendi cupidis  
 campum patere profiteor. Aliam ingredi viam Ver res non potuisse  
 solus Aristoteles exemplo esto. Is naturalia, Alexandro M. auctore,  
 perimari & conscribere iussus, piscatoribus, venatoribus, aucupibus,  
 huiusque farinae aliis ingens pecuniae pondus 24000. circiter flor.  
 aequans, quotannis erogauit, vt quae naturalia siue animalia, siue  
 plantas, siue mineralia essent experti & obseruassent, in sinum suum  
 iterum effunderent, vnde inuidenda eius opera v. WALCH Histor.  
 Phyl. p. 227. §. 6. nobis accreuerunt. Et ita a specialibus ad gene-  
 raliora siue a sensione ad regulas, ab experientia ad systema quod-  
 dam deuentum est. Experimentis vero, antiquis temporibus inco-  
 gnitis, simpliciter notata intentius enucleare, confirmare, demon-  
 strare, nobilissima experientiae pars est ac certissima, imo vsu horum  
 abiecto, otiosa, nuda, nec falli secura contemplatio existit. Non di-  
 cam instrumenta coelestibus corporis adaperiendis inuenta v. c. tu-  
 bos opticos, siue sensus subleuantia, vt microscopia, siue obscura  
 his reducta v. g. antliam pneumaticam; id solum defensusus, acu-  
 tissimam & praestantissimam disciplinam Mathesin hinc ortum esse  
 sortitam, & experientia pariter exclusam. Hac protinus coelam  
 cum suis pendentibus corporibus, pro parte adhuc inaccessis cognou-  
 uimus, quae influxum in nostra transmittunt: cum enim iste oculum  
 animumque non subterfugiat, vnius tamen rei plures caesae esse pos-  
 sunt, nihilominus ab illis hunc effectum esse subsecutum firmiter ho-  
 die concludunt. Terram eis subnectunt cum elementis, vnde in-  
 credibilis aëris, aquae, ignis, mineralium, plantarum & animalium  
 experiendam sese, neutiquam vero exantlandam offert copia, quorum  
 singulos effectus scire non tam Physici quam diuini & si maior despera-  
 rati operis esset. Nullum ergo terminum satis longinquum sensibus  
 praefigi posse maxime vides, tum quod inpenetrabilia in omni reg-  
 no, vt vocant, quamplurima deliteant, & ad sui quasi cognitionem  
 vltius inuitant, tum quod in causis specialissimis seu principio mo-  
 uendi & finibus rerum magna extent opinionum diuortia: nam sua  
 quisque experientia confidens, aliud pro alio obtrudere consilium  
 parat

parat. Huc quoque Phylol. mysticam de spiritibus, de anima in specie, miraculis, magia & hostilitate natur. &c. retrahimus; quam nisi quis sententia propria sibi, quantum potest, reddiderit, non rationem, sed idiotam acturus est.

§. X.

His entibus corporalibus instructi moralia adiciamus, non minus quam illa ab experientia desumpta. Primi quidem Ethici paradigmaticam & characteristicam exercere, siue ab exemplis nationes humanae naturae & quicquid vitii illa contraxit, petere necesse habuerunt, cui alii postea dogmaticam ac paraeneticam seu regulas vniuersales minori cura superstruxere. Naturam proinde hominis, i. e. sui cognitionum intellectus & voluntatis, huius iterum perfectionum, passionum, & affectuum explorationem non vna vice in stituisse Ethicam excitauit; hoc enim *γνώσις θεοῦ* caelitus delapsum terribile malitiae, qua horret animus, monstrum, viuis coloribus depingens atque terribis vitiorum latebras in lucem protrahens, hominis denique praeslantiam ac DEI intentionem obiciens, inordinatae cupidinis prohibitionem, voluntatis emendationem, ad vere bonum inclinationem & morum innocentiam, siue Ethicam representauit. vid. MVRET. L. I. Orat. X. & politic. epist. SENEC. L. & XXXVIII. Hinc recta ratione vtentes honestum, iucundum ac vile praecipuis eligendum, puta virtutem monuerunt, illius beneficio quoniam tranquillum & beatum animum in se deprehenderant, atque diuersitatem obiectorum diuersam voluntatis dispositionem requirere experti innumeras illas virtutum turmas composuere, vitia contra his obstantia eliminaturi: quorum proprietates, affectus & causas probe sciscitans, in specie temperantium cuiusque in causa esse iam notauit Galenus, hodie vero propitiori Minerua Heineccius, Thomasius, Hoffmann, Trier &c. Haecce vero temperamentorum notitiam non nisi experientia comparari posse haud ambiguum erit, modum sui & aliorum sermones, actiones, mores, vitae habitum & propensiones paulo accuratius introspicimus. Ista porro affectus signis cuique propriis, non obstante versu Medae apud EVRIP. 116. quo Iupiter auri quidem signum, nullum vero hominis boni malique indidisse accusatur, luculentex

lenter prodit, ut de mente quoque parum incongrue coniectare liciat. Prolixius de his agit de la CHAMBRE, dans les caracteres des passions, & § 13. inf. Tandem finem Ethices spectantes sc. fruitionem summi boni eandem viam, cum suo quisque sensu abundat, ingredi remittunt; etiam si una eademque experientia omnibus pateat, non aequè tamen singuli ingenii acumen adstringunt, nec quidam senserint, pluries ruminant; interim, quod eminentissimum, secum uniendo cupissimum & extra amittendi periculum positum prudentiores recognoverunt, id praestantissimum quoque bonum statuunt. Postremo recrudescentibus vitiis pravisque cupiditatibus, in pristinam calamitatem illis qui indulget, recidendum, nisi regulas optime annotatas in usum deduxerit, & pugnam siue illorum suppressionem & debellationem meditatus sit, multipliciter attentatum.

§. XI.

Finem Philosophiae tendens elegantem sed intricatam disciplinam, subaudi Ius Naturae arripio, eamque similiter ortam, progressum atque suum, quo nunc gaudet, incrementum ab experientia cepisse arbitror. In eo enim plerique manum huic operi admouentes coincidunt, quod e morali hominis natura, quae in connexionione corporis cum anima huiusque libero ad felicitatem instinctu consistit, primum principium sit petendum: hanc igitur cognouisse, qualis determinatio ad bonum voluntati inserta sit, comperisse, & quam felicitatem assequendam e sine summo Numini placito, animadvertisse, viam munit ad leges natural. applicandas, atque an mos illis gerendus docet. Si qui vero leges hasce dissimulaturi sunt, quas plane negare incredibile, experiuntur nescio quem incorruptum iudicem ac rectem, iuste de commissis sceleribus & actionibus pronuntiantem, doc. Paul. ad Rom. 2. Leges admittentes circa principium, quod conclusiones prae se ferat distinctas, sollicitos esse oportet, solidam ergo & claram ideam rerum, quarum gratia sint conditae, acersituros; quam diligenti haram inquisitione & meditatione acquirimus. Hinc istud optimum I. N. principium, v. Magnif. DN. SIBRANDI Dissert. de princ. I. N. socialitatis nimirum directum, atque e morali natura depromptum, Leges eo modo sunt datae, sed obiecta,



obiecta, erga quae observandae, non aequè in oculos incurrunt. Quomodo haec tamen ex illo principio emanent, Puffendorffius in Officiis hominis & C., ut & TITIVS in obseru. ad ead. demonstrant. DEum ergo, quod ab illo dependemus, nos ipsi, quod statim conservare, & proximum, quod socialiter vivere tenemur, esse I. obiecta non obscure indigitatur. Quodlibet horum sua exigat officia, vltimum verum absoluta & respectiua vult praestanda. Et hypothetica quidem vt pote circa dominium, eius ortum variosque acquirendi modos. §. II. I. de R. D. pretia rerum, contractus omnino experientiae acceptos ferendos contendo: ista enim natura humana, vt alias deficeret, neuiquam nituntur, sed quod diuturna negotiorum serie incommode sine his sustentum iri consortia comperant, specialia inde officia vnanimi consensu comprobantibus fraudem, furtum, rapinam &c. exulare placuit. Coniugum, Parentum, Dominorum & Principum officia erga relata sua si singulatim ex hoc fundamento elicere animus esset, quam praestituissimus metam transgredi necesse esset: cumque eadem ratio I. gentium sit ac N. generalibus quippe specialia applicantur, ad vltimam Philof partem conuertimur.

§. XII.

Politica cum sit prudentia actiones ad suum & aliorum commodum dirigendi, consilia prompte eam exequendi ratio quidem suppeditat, non temere vero & coeco impetu illa capere potens: speciales casus & exempla potius quibus virtutem suam exserit, praefiniri oportet. Talia proinde denuo experientia edidicisse oportet, vnde vtramque paginam hanc facere liquido constat. Nam sicut in omnibus finem mediaeque ad hunc conducentia, ne frustra quiequam suscipiamus, respicienda commendant: ita quale sit negotium bonumne an detestabile, magni vel minoris momenti, conficiendum vel destituendum, an sufficientia, commoda, & legitima sint media necne, non semel expertum Politicum esse decet. Exquisitissima vero haec finge quoecunque tempore & in quaslibet personas vix tamen applicari posse senties, ad explorationem itaque morum affectuum & temperamentorum confugiturus, eiusmodi homines mancipia quasi tibi



bi reddes. Physiognomica quidem signa certa ac expedita si apprehendas, indefessum sane designandi ea stadium, & cui hominum generi competant accurate distinguendi, adhibere, hinc incessum, habitum corporis, vultum, colorem, motum, rugas ac lineamenta, vno verbo quaeuis temperaturae corporis externa signa attendere teneberis. Vid. THOMAS. & von ROHR Vnterricht die Gemücher zu kennen. HEINEC. *diff. de incessu.* Si ex aduerso e moralibus, quae sunt actiones & sermones vel scripta, proximi animum eruere lubet, ex hoc vel illo sermone aliterius mores diiudicare Politices studiose plane est indignum, longa enim consuetudine cum eo vtratur moment. Nec minus Statistica experientiam in consilium vocat, quae imperii & subditorum cognitionem, regalia rite obseruandi atque tranquillitatem vbiq; stabilienti consilia; leges ferendi iisque insistendi media; magistratum & ministrorum tam eminentioris quam vilioris conditionis circumspicionem; iudiciorum constitutionem; in subditorum mores inquisitionem, eorum commoditatis curam, opes augendi modum, religionis conseruationem, imperii arcana inteniendi rationem, cum exteris belligerandi, pacem ferendi & amicitias ineundi prudentiam aliaque innumera in manum dedit. Priuatae demum Politicae sempiternam sui aliorumque spectamen nunquam sinem imponit: Sibi enim quantum pestilens ille triceps Cerberus ambitio, habendi cupido & uoluptas commodi ac incommodi afferat, quando dissimulandae & propriae uirtutes tum exercendae cum exuendae, attendere iubet. Conuersandi deinceps, aliorumque beneuolentiam comparandi modum experient, praescribit, ut se personis pro diuersitate status naturae, morum ac propensionum indulgeamus, ciuilitatis siue humanitatis rationem habeamus, & vbiq; decorum obseruemus, id quod solum nunquam perdisci potest. Vltimo Oeconomicae consilia pariter elargitur focunda nostra mater, quid marito, uxori, liberis, famulis ad rem familiarem pro sua cuiusque facultate promouendam incumbat, fideliter communicans. Postremo ciuiles societates ordinat eadem, instruit, monet, ac sapere docet.

XIII.



§. XIII.

Philosophia hoc modo primis lineis adumbrata ac Praeceptoris  
 Experientiae tota vindicata, aliud scientiarum genus Medicinam pura  
 eidem tradere aggredimur. Quo longius tamen a meis literis haec  
 distat, eo breviori ambitu, cum per se sanandum explorata res sit, illam  
 eoluere placebit. Ita enim Medicorum Princeps Hippocrates non al-  
 iam medendi viam ingrediendam quam experientia fratrum affe-  
 ctis suis praecipit, quod sc. *Medico ratiocinatione exercitio superstructa*  
*morbos aggredi competat.* pr. Praecept. Hinc. Celeb. HOFFMANNVS  
 in Med. Rat. Syst. Tom. I. p. 13. *Antiquissimi, inquit, Med. notitia*  
*corporis humani & causarum insuper morbi habita, artis certitudinem*  
*in sensuali ac evidenti cognitione sine experientia eorum, quae in mor-*  
*bis vel profecerant vel nocuerant, vnicè collocabant - - & hi empirici*  
*vocabantur.* Lege quae sequuntur plurimum huc facientia, BAGLI-  
 VII *Prax. Med. C. II.* DN. BVRCHARDI *Progr. de Exper. Rat.* ei-  
 que annexam BVRGMANN, dissert. Ne tamen alienis solum pen-  
 nis suberbire videar, Diabeticam primo, humani corporis cogniti-  
 onem constituisse certum haec acquisita iustam cibi, potus, quietis, mo-  
 tus, somni, vigiliarum &c. proportionem in sanitate tuenda seruare,  
 quaenam esculenta & poculenta palato etiam insulsissima feligenda, qua-  
 lis horum ordo attendendus, aëris seu climatis circumspectionem, ha-  
 bitacula, coenacula, cubicula &c. distinguere docet. Saepiuscule ve-  
 ro experimentis praeepta illa inuenire ac confirmare necesse ha-  
 buerunt, cum immediata effectuum sententia nitantur, dissentientibus  
 tamen in certa diaetae determinatione plurimis, eodem  
 modo omnium observationem succedere liquet. Praescripta viuendi  
 nat. forma neglecta, utpote sinistre Gallico isto remedio applica-  
 to: *Coucher a dix, Lever a six, Fait viure l'homme cent fois dix,* ex  
 voto Medic. res in peius vertitur, decumbereque oportet. Hic  
 Pathologia opus, quae morborum diuisionem, causam, subiectum &  
 effectum morbi adiuncta, differentiasque ostendit. Observationes  
 vero haec nouas & antiquas, cum vnus aut alter non superpet, depo-  
 scit; singularia quoque morborum symptomata olim plane incogni-  
 ta hodie adhuc exsurgunt experienda. Huc pertinet quod habet modo  
 hauck

laud HOFFM. d.1 p.9. - - *Observationes magna diligentia notatae integram morbi historiam cum omnibus ad rem pertinentibus circumstantiis complectuntur* -- Nec fieri potuit, ut restitutionem aegroti meditentur, qui morbos innumerato non habeant, ac eorum originem nesciant. Ad diligendam tamen & separandam ab altero morbum Semeioticam in consilium adhibent, non profecto temere in manus traditam, multo potius opere, longo itinere, frequenti sensuum exercitio, diuturna phaenomenorum attentione & constanti morborum, eorundemque pathognomicorum signorum exploratione acquisitam. Nondum vero est acquisita, fatente Porta in Medic. breu. c. 2 §. 12. admodum difficilem esse hanc doctrinam, quod & diagnostica & prognostica quaeris non simul oculis haurire licet, unde coniecturam saltem de morbi euentu & valde dubiam prognosin existere. Collectim contra consideratis morbi signis, ad eius definitionem & curationem itur, quam promouet Therapeutica non solum praeternaturalia tollens, sed natur. quoque conseruans. Stupidus quisque experientiam remedia conquirendi, nocumenta e documentis abrogandi, cautiones comparandi vtilissimas. HOFFM d.1 p. 10. suppressas & dissolutas vires restituendi, tempus, locum sanandi, qualitates patientium attendendi, ansam praebuisse intelligit. Ad feliciorum medicaminum euentum Botanica subministrat media, monstrans herbarum virtutem in medicinam redigendarum. Vini igitur & effectus illarum diversis vicibus comperisse, cui maxime mala haec deroget, pluries obseruasse, & alteram quae sanitatem confirmet, dignouisse non raro oportuit. Id quod Tobacum nobis gratissimus, auos vero latentem huius herbae efficaciam ignaros exosissimus demonstrat perspicue. Si ad externa corporis vitia, luxata, vulnerata, sphacelata membra reficienda siue amputanda sese Medici accingunt, Chirurgiae ope id peragunt, ocularem & sedulam sui inspectionem exigentis. Elementa huius artis leuia fuisse, omnibus enim incommodis succurri vno impetu non poterat, & perpetua demum exper. postea auctam, nec id cuiquam obscurum erit; sola Venae sectione hoc attestante, vid. Magnif. DN. DETHARDING Progr. de Venae. Ceterum quo dexterius rem suam persequantur Chymici, Anato-

Anatomiam & Physiologiam adhibere necessum est; primitus forte ab exenteratis demortuorum cadaueribus ortum sortita, ubi semefa & corrupta exta mortem accelerasse deprehensum, usque dum ad dissectanda animalia, & demum humanacorpora, ut de hominis statu de meliori informati, & se ipsos noscere & aliorum naturae conuenientia remedia praescribere possent, deventum videtur. Ideoque experiendi cupide hodie discissae carnis fastidium quam imperitiam & membrorum, quomodo se inuicem respiciant, inscitiam ferre malunt. Finem his faciant verba Bartholini: *Optarem, ait, certe qui in ciuitate frequentissima (Parisiis sc.) & nosocomiis instructissima debita diligentia per dierum seriem consignassent & varios morborum euentus & remediorum successus & obseruata in morbidorum dissectione. Huiusmodi diaria & obseruationis centum anthropologiis praeferrem & quouis aere redimerem.* Generaliter autem loquitur Hippoc: *ἡσυχίην ἀδύνατον ἐστὶ ταχὺ μαθεῖν δια τούτου, ὅδε ἀδύνατον ἐστὶ κατηστικόν ἢ ἐν αὐτῇ σόφισμα γενέσθαι.*

§. XIV.

Epilogum Dissert. ianiam respicienti, littora ampli Iuris saluanda restabunt, fontem huius itidem ab experientia ducturo, licet pro exiguo virium modulo breuibus id perficere integrum erit. Ius Ciu. quidem tanquam praestantis sumum §. 2. I. de I. N. G. & C. e Corpore Iustin. depromi nec Dupondium latebit; id cum Institutiones nouitiis praegustandum porrigunt, tum prima elementa & ardorem leges difendi instillant, cum nihil inutile, nihil perperam positum sed quod in rerum argumentis obtinet pro I. siue e quotidie obuiis casibus desumptum tradunt: quocirca easdem Imp. e Caii sui rebus quotidianis, v. ib. componi quoque iussit, desuetudineque inumbrata rescit. Ex hac rerum annotatione maxime Iur. necessarii Tituli comparati, principium illud: *Neminem laede*, in omnibus paginis plene exhibent. Huc faciunt ergo Status Perf. Tutelae, dominia, testamenta, Contractus. Oblig. ex Delict. Actiones &c. ab experientia omni modo descendentes, quod Rempl. armis decoratam & L.L. armatam i. e. recentitis Iuribus suffultam esse oportere

D

com-

compertum habebant. Idque singulatim exponere in proclui esset, nisi praeter opinionem opus excreturum vereretur. Digesta porro si adspicimus, ipsa experientia depicta quasi nobis videtur; meri casus enim a Prudentibus ventilati & decisi occurrunt, dubia ab imperitis mota dissoluuntur, lites e falso perceptis Responso ostae dirimuntur, & summatim sollicitae quaeque observata traduntur: Quoniam vero euncta reputare mortalibus non licet, Constitutiones Princ. ex aliis oblati quaestionibus seu specialibus exemplis edebantur, & non ita diu post Novellae, nec eae tamen totam scientiam exhaustientes, quippe ut supra dictum, ad extremum halitum vsque experimur. In genere ubi specialia obueniebant, quomodo his consulatur, deliberantur, id quod multiplici rerum cognitione praestitum, confirmant quoque verba Lutheri T. I, Ien. fol. 156. *Solche Leute. (Iuris P. Vet.) haben sich in grossen Händeln müssen üben, und gar mancherley Menschen Sinne lernen kennen* &c. Ius Germ. & Statutarium porro partim fortuna ortum, & ad suam quodque ciuitatem accommodatum, res patrias componit. Animaduerso enim in omnibus Ius R ad nostras Respl. applicari non posse, nec singularissima quaeque dehinc a nostratibus cognita exprimi, nouum Ius quod defectum suppleat & omnino cognitis satisfaciat, Impp. & ciuitates condi curarunt: nec morum cuiusvis nationis inspectionem multum huic attulisse nego, cum istis conueniens esse oporteret. Proximum huic Ius Feud. e diuersis pactorum mutationibus extitisse non adeo ab simile videretur, cum modo res alicui plene donata, modo sibi eius proprietates vindicata, modo ad diem vitae restricta, vel in perpetuum usum concessa, ut recipiendi tamen aliquando spes affulgeret, & ita nunc alio modo translata dominia: haecce ergo possessionum & morum consideratio sensim Ius quoddam conferendi ansam praebere potuit, quod aliae postea circumstantiae fusius explicarunt, cautelasque addere coegerunt. Non vero nego imminentes hostium incursiones, occasionem dedisse quas primi Vasalli soli repellere desperantes, potentiorum propterea ope implorari forte, his fundos suos in defensionem tradituri, operasque militares praestituri. Feudali Ius Publ. annecti potest, quod ut partim Historia partim Politica constat, de viroque sup. S. I. & 12, qui

12. quibusdam monitis , Imperii Gerani. formae , mutationum incommodorum , fatorum , indolis hominum &c. notitiam requirit , quam polire admodum Monrambano & Swederus tenuerunt ; huiusque ope noua subinde prodeunt I. P. Systemata , noua quoque cura in agnoscendis regionum ac incolarum moribus suscepta. Praecipiti cursu ad Canon. abripior ad ductam Ciu. conscriptum. Ibidem enim Episcopi inferioresque Clerici ad Pontifices , hierarchiam iam tum affectantes , casus , causas & quaestiones decidendas deuoluebant ac iniuste ab illis ius petebant ; quod primos quidem laudando proposito fecisse credo , vt nimirum canonum Concil. explicationem noscerent , atque his contrarium nil docerent ; a callidissimis tamen Pontif. deinde non tam circumiectis terris , quam longe remotissimis quoque in partes suas , siue clam siue publice siue precario traductis , pedetentim simul dubios casus ad se deferri curabant , quorum magno apparatu sibi acquisito ius illud , quod nec hodie e iudiciis nostris aboleri potest , digesserunt , neuiquam Impp. cessuri. Hinc emanauit Ius Ecclesiast. corruptum Canonico statum instaurans , & vt decet , Principibus competentia in Ecclesiam iura restituens. Nam postquam turbulentam litium confusionem & limitatam Princ. in sacris potestatem perspexerant , a reformatione neglectum ius integrascere , notiusque regiminis modus , Papae auctoritate pessumdatus , introduci coepit. Ita totum quae patet Ius breuissime matrem scientiarum peperisse vides.

§. XV.

Vltimum locum Theologiae studium occupet , quod paucis , ne forte in dogmata illius impingam , exequar. Experientiam ergo Theol. principium vt aliarum disciplinarum esse minime contendo , neque ansam ei dedisse assero , id quod Fanaticismum saperet. De reuelata vero hic tantum sermo ; naturalis longe alia est ratio , prout §. 9. & 12. breuiter dictum , & hanc si intelligeremus , non incommode ex illa posse elici. Hac nat. tamen ultra terminos rationis non procedente , reuelata omnino est opus , eamque notitiam diuino verbo acquisitam per se veram ac dubii infeciam , obseruatione fatorem,

rum, factorum, iudiciorum, miraculorum diuinorum &c. augeri & roborari non impium dictu videretur; visibilia & sensibilia enim hominem mirum in modum tangere solent. Taceo hoc loco quantum vsum experignat apud mystas, & dispensatores mediorum salutis quos fatente Luthero, Oratio, Lectio Tentatio facit consummatos. Cum vero haec res forum nostrae diff. non directe in grediatur, praestat, meum de tabula. De hac interim materia lege Scriptores Theol. experim. Mihi sufficit vel hisce lineolis studium Tibi meum B. L. probasse, & in ceteris Scientiis Matrem Experientiam pro tenuitate mea explicuisse, coronidis loco verba Syrac. C. 25. v. 8. addenti: *Senum quasi cimelium est in plurimis instituta experientia, ex qua arg. C. 37. v. 25. prudentia comparatur, consilia largiens sufficientia.* Haec ergo adolescentiam tuam alat, senectutem oblectet, secundas res ornet, aduersis per fugium ac solatium praebear: delectet domi, non impediat foris, persocet tecum, peregrinetur, rusticetur, dnm vitae immincat.

## FINIS.

### COROLLARIA.

- I. *Non datur sana ratio.*
- II. *Quis nouit rñm sapiat, nisi cum nemo neget?*
- III. *Parum sapit qui non ultra rationem, nihil, qui ultra scripturam sapit.*
- IV. *Vnus tantum homo fuit a mundo condito mortuus.*





VIRI ILLVSTRES, ATQVE MAGNIFICI!

**V**ESTRIS Oculis cum parum verecunde  
praecocem Musarum mearum partum  
submittere, tamque accuratis ingenio-  
rum censoribus qualemcunque disser-  
tationem tradere sustineam; incompositam fa-  
ne audaciam istam purgandi legitimas causas o-  
mnino meditari & in medium proferre conue-  
niebat. Quas tamen longe petere in confide-  
rati; silentii contra peplo inuoluere ingrati mi-  
nusque beneficiorum memoris foret. Praete-  
rita enim ac praesentia si modo tempora me-  
cum reculturus, eminentissima atque vberima  
Gratiae VESTRAE & Largitatis in indignum  
forsan collatae exempla animo reuoluo amplif-  
simus certe excurrendi in ea campus stupenti  
mihi patet quem vnquam nedum paucis lineo-  
lis emetiri desperati esset operis. Mira quippe  
VESTRA Humanitas & incredibilis benignitas  
qua VOS met petenti obuios ac perfaciles  
praebetis; spectatissima Prudentia ac celebra-  
tissima Virtus, in consilii opisque egentem cu-  
mulata; VESTRA denique Eruditionis & do-  
ctrinae incomparabilis copia, qua scientiarum  
me sitientem explere dignamini adeo mentem  
meam abripiunt, vt nec satis eas adsequi, mul-  
to minus vt par est laudibus ornare queam  
Quo.

Quo ergo grati animi quasdam significationes  
in lucem ederem, publicumque obseruantiae  
erga VOS meae deuotissimae monumentum  
exstruerem, commodam magis, quanta VOS pi-  
etate venerer, monstrandi occasionem nancisci  
non licuit, quam cum splendidissima VESTRA  
Nomina his paginis praefulgere ac praescribi ho-  
die faciam, ea spe lactatus, fore, vt non parum  
inde venustatis ac gratiae ex ista, qua polletis  
altissima dignitate, litteris meis sit accreturum.  
Accipite igitur serena & explicata, qua soletis,  
fronte quicquid tenuis & rudis est munusculi, ne-  
que id pretio suo sed VESTRI Nominis auctori-  
tate atque amplitudine nixum, accipiendum  
VOBIS putetis vehementer rogo: Ita effecturum  
mespero, vt cum ad aequanda VESTRA in me  
merita facultatem mihi deesse omnes videant,  
voluntatem tamen deesse nemo sit arbitraturus.  
VOS ceterum Patroni maximi omnium Mo-  
derator DEUS ad seros vsque annos cum Gene-  
rosis Familiis viuere iubeat, quo Suo quisque  
PRINCIPI salutaribus consiliis adfistere pu-  
blicis rebus praesse, coepta cum omni emolu-  
menti & prosperitatis genere exequi, clientibus-  
que demum quorum me numero enixe rela-  
tum vellem, in patrocinium, solatium atque  
praesidium quam diutissime bene cupere possi-  
tis. Valete mihi que fauete. Dabam ipsis Ca-  
lendis Aprilis, Anno MDCCXXX.


Rostock Diss., 1728-32



VD18

5b.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

B. V. D.  
PHILOSOPHICA,  
DE  
RIENTIA  
E SCIEN-  
ARUM,  
QVAM  
ULTATIS PHILOSOPHICÆ  
ONSENSU,  
Æ S I D E  
NE HERMANNO  
CKER,  
ÆCEPTORE SUO MAXIME  
OLENDO,  
EMIA VARNIACA,  
XX. AD DIEM APRILIS,  
EXAMINI SUBJICIET  
USTAV. FISCHER,  
HISW. POMER.

8  
Vol. 2 Num. 2  
1730, 1.

STOCHII,  
DLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
YPOGRAPHI.

